



**Página  
de  
Controlo**

PRO  
LITTERARUM  
INSTAURATIONE  
DIXIT  
PASCHALIS JOSEPHUS DE MELLO  
ANNO  
cIc. ICCC. LXXV.  
SEXTO  
NONAS OCTOBRIS.  
APUD  
CONIMBRICENSEM ACADEMIAM.  
POSTUMUM.



OLISIPONE  
EX TYPIS REGIAE OFFICINAE  
ANNO  
cIc. ICCC. VIII.  
*Superiorum Permissu.*

PRO  
LITTERARUM  
INSTAURATIONE  
DIXIT  
PASCUALIS JOSEPHUS DE MELLO  
ANNO

*Mibi quidem, qui nihil agit, esse omnino non  
videtur.*

SEXTO Cic.

NONVS OCTOBRIIS

ANNO 1660

COMBRICENSEM ACADAMIAVM

POSTUMVM



OLISIPOENE  
EX TYPIS REGIAE OFFICINAE

ANNO

CIC. I. CCC. ANNI

SUPERIORUM PARVORUM

**O**ther ideas are as follows:

**Q**Uod semel, iterum, atque saepius a Deo Optimo Maximo precati sumus, Excellentissime Academiae Rector, Scientiarum omnium et Artium Publici Regiique Professores, Magistratus, ceterique Auditores honoratissimi, quod optaverunt omnes boni, quod alma Academia, et Collegia litteraria, quod Conimbricensis civitas, et quod denique Regnum universum tantopere flagitavit, ut magnarum Artium studia, quae tribus ferme abhinc saeculis, sive temporum injuria, sive perditissimorum hominum fraudibus, et machinationibus in situ et squalore jacebant, tandem aliquando instaurarentur, resurgerent, et caput extollerent, id jam nobis Omnipotentis in primis Dei, deinde autem Regis beneficio, et consilio virtuteque bonorum, hoc potissimum die (quod felix, faustum, fortunatumque sit) tributum ac donatum esse maxime laetamur. Artes omnium maxima, pulcherri-  
mae, praestantissimae, Theologia, Iurisprudentia, Medicina, Mathesis, quae fere jam sepultae ac conclamatae videbantur, hodie suscitantur, Auditores. Sollemnis hic dies est pro felici earum restitu-  
tione consecratus, quem boni quique cives, quem Academia, quem Litterati omnes omnibus laetitiis et publice et privatum exultantes perpetuo debent cele-  
brare. Quapropter hanc maximarum Scientiarum reparationem, et ad vitam veluti mirabilem redditum, vellem vobis hodie annuntiare, quin cogerer vestrum omnium ante oculos ponere tristissimum illud, luctuosissimumque tempus, quo gravissimas has disciplinas humi jacentes et prostratas vidistis: neque

enim initio fas est aut dolorem , quo jam defuncti  
estis , tali commemoratione renovare , aut laetitiam ,  
qua fruimini , comminuere . Verum quemadmodum  
qui multis hinc inde fluctibus jactatus , portum feli-  
citer contingens , praeteriti periculi recordatione lae-  
tatur , et qui ex improbo diurnoque morbo con-  
valescit , multus est in tota sui morbi curatione  
referenda ; ita vos , Auditores , qui Litterarum caus-  
sam hoc usque quam honestissime deplorastis , eis-  
dem suo jam pristino nitor et luci restitutis , non  
admodum gravate , credo , feretis , neque multum  
molestum vobis erit , atque injucundum , me de praec-  
clarissimarum Scientiarum instauratione dicere inci-  
pientem nonnulla quaeque de earum corruptione et  
vitiis breviter commemmorare . Hoc itaque erit incom-  
rae sane et brevi otio meditatae Orationis argumen-  
tum ; neque enim in tanta temporis brevitate , quae  
mihi ad dicendum data est , quidquam perfectum spe-  
rari potest ab homine praesertim alienis studiis dedi-  
to , et qui in nostrarum legum monumentis , veta-  
statisque aliis exemplis evolvendis , antea blatarum et  
tinearum epulis , et in Patrii Iuris incultis Commen-  
tariis legendis annos tres sine ulla intermissione con-  
sumserit ( 1 ) . Aliam quoque et satis bonam ex-  
cusationem habere mihi videor , quod scilicet hanc  
dicendi provinciam non voluntate mea , sed necessi-  
tate compulsus adgrediar : itaque mihi imputari non  
debet , quod officium istud , quod sine culpa ,  
eaque

( 1 ) Ordinavit enim Historiam et Institutiones Iuris Civilis et Cri-  
minalis Lusitani , quae ab instauratis apud nos litteris ad instituendam  
eupidam legum juventutem usui sunt , hodieque , vita functo Auctore ,  
approbatæ inveniuntur apud Consimbricensem Academiam Regia Re-  
solutione 7 Maii 1805. Hic intrascruſu annotandum . Historiam Iuris  
Civilis Lusitani in 4.<sup>a</sup> editione prodiisse longe scatentem erroribus  
typographicis , multis ad sphorum marginem positis summatissimam  
lam , et nescio qua de cauſa etiam mutilam tabula titulorum concor-  
dantium , quae ad libri calcem inveniebatur ( fortasse cauſa fuit , cur haec  
tabula mea est , et a me , qui non gloriosus socius Regiae scientiarum Oli-

eaque gravissima (2) detrectare non potui , prae-  
stem utcumque. Veniam igitur date repentino et in-  
opinato Oratori , de vobis bene merendi studiosissimo ,  
quem et rei ipsius difficultas , et temporis , locique  
conditio , et mearum in primis virium , propriaeque  
meae imbecillitatis conscientia , et alia denique bene  
multa perturbant.

Magna profecto et eximia res est Sapientia : na-  
turali ejus acquirendae studio homines tenentur :  
illius suavitatem , et necessitatem in omni instituen-  
dae vitae gener : facile omnes percipiunt , intelligunt-  
que : verum quia non ubique obvia res est , sed diu ,  
multumque querenda , neque via , quae ad eam du-  
cit , facilis et plana , sed ardua et abrupta : quidam  
initio ipso timidi et meticulosi eamdem nunquam ten-  
tare ausi sunt : quidam illam ingressi , ductorum au-  
xilio destituti , locum invenire non possunt , ubi pe-  
dem figant : quidam infinitis tot impedimentis et  
obicibus retardantur : quidam fracti animo et  
debilitate ab itinere desistunt : quidam denique , et  
quam pauci hi sunt ! non nisi post improbos inge-  
ntesque labores , quibus perferendis vix , ac ne vix qui-  
dem , longissima hominum aetas sufficere potest , finem  
curriculo suo imponunt , et sapientis nomen qualecun-  
que adsequuntur. Quare jamdudum et rerum recto-  
res , et boni quique cives de laboribus istis minuen-  
dis dies noctesque cogitarunt , et , cum multa eis ani-  
mo occurrisserint , quae rem litterariam adjuvare pote-  
rant , nihil unquam magis pro magno Litterarum incre-  
mento esse visum fuit , quam Academiac praelare sa-  
pienterque fundatae. Revocate , quaeso , paulisper in-  
me-

siponensis Academiac , elaborata . ) Vide quae de editionibus annotavi-  
mus in Panegyr. Histor. pag. XVIII.

( 2 ) Josephus Joachimus Vieira Godinhus , cui haec Oratio multo  
antea demandata , detrectavit officium suum , quod ex tempore im-  
pleri jussum .

memoriam, Auditores, quantum lucis ac splendoris litteris olim accesserit ex Lyceo Aristoteli, Platonis Academia, Zenonis Museo, et ex Papiniani, Iureconsultorum principis, Auditorio! Mitto Pythagoricam in Italia Scholam, Alexandrinam in Aegypto, Antiochenam in Syria, et Musarum alia delubra, ut Cicero vocat, celeberrima: et ut ad nostra tempora propius accedam, quis hodie ignorat mirum in hac aetate Scientiarum omnium augmentum, quantumcumque illud est, quod certe maximum est, totum, inquam, Academiis deberi, quas a saeculo XIII. institutas esse scimus. Equis enim in terris locus est, quo non pervaserit praestantissimae Academiae Parisiensis, Coloniensis, Bononiensis, Viennensis, Genvensis, Lugdunensis, Argenturatisque fama, ut recentiores multas alias omittam? Nullum ego dicensi finem invenireni, si Academiarum historiam, et proventus inde litterarum, non dicam jam exornare, sed enarrare intenderem, quod eo minus faciem, dum arbitrör, cum probe sciam neminem melius quam vos intelligere quot, quantaque commoda et accessiones ex bene fundatis Academiis in litteras omnes deriventur.

Academiae vero nostrae, quam Olisipone Dionysius fundavit, varia fortuna fuit: nam Conimbricam postea translata primo sub Ferdinando, et deum sub Joanne III. Rege invictissimo, initio doctissimis quidem hominibus, omnium Scientiarum genere excultis, adeo abundavit, ut Lusitania feracissimo hoc saeculo ceteras Europae nationes non modo aequare, sed longe lateque superare videretur. Quis enim est in litteraria horum temporum historia vel mediocriter versatus, qui Didacum Paivam Andradium, magni nominis Theologum, ignoret, eumque summis ad coelum laudibus non prosequatur? Quis nescit Iureconsultos humanissimos Emmanuel Costam, Arium Pinelum, Eduardum Caldeiram, Emmanuel Sua-

rium,

rium, Joannem Altamiranum, et, qui primo loco nominandus erat, Antonium Goveanum, quem Antonius Faber, non iniquus certe rerum aestimator, magno Cuiacio praeferre non dubitavit? In mathematicis vero disciplinis, medicis, philosophicis, et litteris praesertim humanioribus qui excellerent, longum esset recensere; adeo quippe multisunt, ut nulla gens, populus, natiove fuerit, quae illis temporibus litterarum gloria magis magisque floreret, et quae tam ingentem litteratorum hominum numerum insolenti Graeciae, aut olim dominanti Romae posset opponere. Sed, quae est rerum humanarum varietas et inconstantia! Academia Conimbricensis tam prosperis laeta principiis in ipso quasi portu naufragium fecit: eodem namque saeculo, dominantibus Philippis, tales Academiae leges datae sunt, quae cum rem literariam minime juvarent, quin potius artificiosae ignorantiae sistema mira arte elaboratum continebant, Scientiae omnes, cum ad illarum praeceptum necessario tradendae essent, fulmine veluti quodam percussae repente ceciderunt. Ita nimurum insipienter et inepte in hac legum latrone ultima, quae ad hunc usque diem viget, omnia gesta sunt, ut nihil supra.

Et ut a Theologia incipiamus, pauca quaedam de Sacra Biblia, nihil de Traditionibus, nihil de Hebraicis, Graecisque litteris, nihil de Patrum Scriptis, nihil de Conciliis praecipiebatur: sed, quasi haec omnia nihil ad rem Theologicam ficerent, Academicis tantum disputationibus delectabantur inter magni nominis Scholasticos, Durandum scilicet, Gabrielem, Scotum, Lombardum, et Thomam nunquam sine praefatione nominandum, non ad veritatem, quae una tantum est, ex eorum scriptis eruendam, neque ad Scholasticorum contentiones componendas, quod praeclarum Lombardi et Thomae institutum fuit,

fuit, verum ad easdem contentiones magis ac magis augendas, et longius latiusque, si fieri posset, protrahendas: itaque illud necessario effectum fuit, ut Academia, quae in unam, eamdemque opinionem conspirare semper debet, nunquam sibi ipsi constaret, sed, lege ipsa jubente, perpetuis Scholarum dissensionibus veluti fluctibus agitaretur. Satis jam de Theologis non secus ac de sacris Medicis.

Ad Iurisprudentiam vero quod attinet, cum quis vulgaria grammaticarum praecepta utcumque animo imbibera<sup>t</sup>, jam satis idoneus Iuris auditor habebatur: accurasier linguae Graecae Latinae cognitio, bene dicendi, beneque rationandi artes clarissimae, Philosophia illa, quae *de moribus* inscribitur, Naturalis et Publici Iuris cum ecclesiastici, tum civilis Scientia, Antiquitates Ecclesiasticæ, et Romanæ, generalis specialis Iuris Hermeneutica, et multa alia ad Iurisprudentiam præcognita, tamquam leve quid ac nugatorum putabatur: et tamen haec omnia tam necessaria sunt juris interpreti, ut facilius posset aqua, igne, tecto, domo, quam his tam præclaris luminibus carere. Nullum praeterea Patrio Iuri in Academia locum concedebar<sup>t</sup>; neque turpe id temporis erat viro patricio, nobili, et caussas agenti, ius, in quo versabatur, ignorare: quippe Romanorum leges undique circumsonabant, forum et subsellia tenebant, et quo magis abstrusiores erant, implicatae, difficiles, steriles, inutiles, et ab hodier<sup>n</sup>is moribus et usibus alienissimae, eo majore cum diligentia, cura, solitudine, et sine ullo delectu, Scholasticorum more, id est, horride, incondite, inornate, obscureque adeo tradebantur, ut veteres illi iuris Auctores, si reviviscerent, nihil minus, quam similes explicationes, similes dubitandi, et deciden<sup>t</sup>di rationes intelligerent, interpresque egeret interprete. Et, ut multa paucis complectar, non enim omnia per

per tempus licet , Accursium , Bartholum , Abbatem , non nisi antiquitate sua venerandos , nobis ad exemplum proponebant : hoc autem ipsum non idem prorsus est , Auditores , atque Accursianorum ineptias serio approbare , et veram germanamque Iurisprudentiam ab Academiae spatis longe lateque semovere ?

Nec Medicina ipsa , qua ( si quid ad bene valendum confert ) nullum maius bonum a Deo , sanitatis datore , hominibus concessum , ab communi illo magnarum Artium naufragio se potuit vindicare . Quod ut probem , vel illud animadvertere satis superque est , quod adolescentes , nulla alia Philosophia nisi Peripatetica instructi , eidem operam darent , quod disciplinas , quae sub Mathesis nomine veniunt , contemnerent ; quod inquisitionem atque investigationem naturae , quam Hippocrates , Celsus , Galenus ipse , et ceteri viri principes tantopere commendarunt , negligenter : et , ut verbo dicam , ita cum praeclarissima omnium arte actum erat , ut parum abesse , quin Hippocratica Medicina in exsilium mittetur , et ejus loco substitueretur Arabica , clamosa , et mere theoretica , id est , potius impune atque inhumaniter accepto auro necandi , quam medendi scientia . Sed manum de famosis Medicis , atris funestissimisque morbis funestioribus , ex quibus dolo , culpa , ignorantia , negligentiae tot strages , tot omnium generum mala , de Medicis , inquam , qui periculis nostris ediscent , et experimenta per mortes agunt , quibus Deus pecunia est , et in quibus nunquam est ut relevetur aeger .

Quid vero de misera ineptaque *Artium* dicta facultate dicam , de cajus emendatione tandem desperatum est ? Quid de Scientiis naturalibus , antea ne de facie quidem notis ? Pudet dicere , quam supina et turpi harum rerum ignoratione nostri homines sepulti ,

quos pro Philosophis Artiumve Magistris habuimus, et quos homines imperitos, indoctos, sine litteris, sine ingenio, sine legitima aetate Academia in Doctorum ordinem adscripsit. Quae cum ita sint, mirari eisdem satis non possum, quod in hac tanta litterarum corruptione, et turbulenta litterarum reipublicae tempestate, non pauci multarum litterarum viri exstisset, Theologiae, Iurisprudentiae, et, si diu placet, etiam Medicinae scientissimi, doctrina adeo abundantes, ut digni haberentur, qui hodie possent praestantissimas has artes publice profiteri. Vobiscum loquor, Patres amplissimi, qui extot, tantisque periculis evasistis incolumes, quique intam densissimis ignorantiae tenebris, quibus omnia obruta atque sepulta, lucem videre et amare potuistis.

Tristissima vero haec tempora jam jam esse desierunt, Auditores: huc autem de coelo nova repente lux adfusit, quae nubila dissolvit, et totam illuminavit Academiam. Horrida illa ac deformis Scientiarum omnium facies in elegantem formam commutata est; neque illae jam torvo, sed hilari vultu, neque sordidis, ut antea, sed pretiosis vestimentis induitae magnifice incedunt. Omnibus itaque gaudiis exultate, Viri Academici: jam enim procul hinc est horribilis illa Theologia Arabico-Peripatetica, malo publico nata; procul Casuistarum, Sophistarum, et Semitheologorum hominum opiniones, praejudicia, auctoritates, et ambitiosae disputationes; procul Accursianorum ineptiae, Bartholistica iurisprudentia; Medicina semper crudelis et temeraria, et Philosophia Peripatetica; procul hinc tandem quaecumque profana. Optissimum quippe tempus illud advenit, quo, pulsa barbarie, et in barbarorum regiones amandata, litteris suis debitus honor constaret. Namque hoc die faustissimo, cuius jucundissima erit tempus in omne recordatio, Josephus I. Rex Fidelissimus et Dominus noster lon-

longe clementissimus , magnarum Artium studia ab infinitis fere ruinis et stragibus reparavit ; hoc die antiquas Academiae leges , tantorum malorum semina , abrogavit , et novas alias , easque sapientissimas tulit , hoc , inquam , faustissimo die Marchio Pombalius , et quis , quantus , qualisque vir ! relicta Regia , et a Regis latere aliquandiu divelli passus , Regis ipsius Vicarius et legatus longe splendidissimus nostram invisit Academiam , et senescientium litterarum reductor ac reformator creatus , universas Artes et Scientias jam diu errantes et ab inimicali gente patris laribus pulsas , ad patrium solum et suum antiquum domicilium , id est , ad Academiam revocavit.

Et quanta , Deus immortalis ! hoc uno die beneficia per Te non sumus adsequuti ? Tu eam Regimentem dedisti , ut Scientiarum omnium reparationem meditaretur , tentaret , perficeret , et tandem absolveret : Tu eidem auctor fuisti , ut tam magnum opus et arduum Marchjoni Pombalii , viro tantae rei capacissimo et ad omnia summa a natura facto , perficendum traderet : Tu virum hunc immortalitate dignissimum , Patriae natum , imperii Lusitani Columen , Conditorem ac Vindicem Litteris , Litteratisque omnibus , hoc potissimum die obtulisti . Pro tantis in nos collatis beneficiis , quae per Te , Deus Bone , a Rege Tibi acceptissimo , et ejus intimo Administro Litterati omnes hodie accepimus , acturus ego pares gratias , quas reddam nescio , deberi quidem immortales plane fateor . Quod enim Respublica suis stet viribus , quod opibus , et commercio floreat , quod leges vigeant , et studia litterarum , quod Regem optimum , Patriae et Academiae Patrem , quod Marchionem Pombalii , Litterarum Instauratorem , Scientiarum omnium et Artium Reductorem , Academicorum Mecaenatem ac Patronum singularem habeamus , Omnipotentis Dei ingens adeo beneficium est , ut ei referendo nulla unquam gratia par esse possit.

Ab

Ab hoc tamen loco plane inofficiosus non discedam , sed certe viribus omnibus conabor quoquam modo aliquam grati memorisque animi significacionem p[ro]aebere. Tibi itaque , Joseph I. Rex Fidelissime , quod profugas et egentes litteras reduceres , quod errantes Musas et multis hinc inde litoribus jactatas revocares , quod eis sedem apud Lusitanos firmami stabilires , quod gravissimas Disciplinas et Scientias instaurares , quod Academiae maiores , quam quisquam sperare auderet , redditus annuos adsignares , quod Mathematicis et Physicis investigationibus magnificentissima exstrueres aedificia , quod socios et collegas n[ost]ros sapientissimos , et quod me denique immerentem in hac tam amplissima doctissimorum hominum luce collocares , ego totius Academiae nomine , quamquam gratia referri tanta non potest , quanta debetur , habeo tamen quantam maximam animi nostri capere possunt. Easdem tibi ago , Marchio Excellentissime , pro tantis apud Regem in litteras , litteratosque officiis.

Reliquum tandem est , ut vos , Adolescentes optimi , per sacrum , quo sociamur , vinculum , et precibus omnibus orem , obtesterque , ne novam hanc , et jam diu exspectatam Litterarum Instaurationem culpa et desidia vestra inutilē faciatis. Vestra res agitut , optimae spei Adolescentes , et vestrum omnium gratia Academiae novae leges conditae sunt , novi , que eximi (me unum si exceperitis) Professores creati , vestrum , inquam , gratia nova haec exstructa aedificia : nolite ergo abuti rebus tam eximiis et praeclaris , et bonorum omnium exspectationem fallere. Sapientiae templum non jam intercluso aliquo , sed in aperto et propatulo loco est : via , quae eo dicit , hodie plana et facilis : illius multi consci[us] sunt et quidem in medio positi : eos igitur adite , ne ab itinere ullo unquam tempore aberretis. Primum a Litterarum Instauratione triennium exactum est : itaque brevi , si  
vos

vos idoneos praestiteritis , laborum vestrorum fructus ,  
eosque uberrimos , capietis : macti ergo hac pulcher-  
rima spe , pergit , ut facitis , Adolescentes , et il-  
lum , quo ab instauratis litteris flagratis , ardorem  
animo semper retinete . Id a vobis postulant Academ-  
ia , Patria , Parentes , Praeceptores , amici , et cives  
denique omnes ; sperantque aliquando fore , ut cum  
ad Rempublicam Cum civilem , Cum litterariam ad-  
ministrandam accesseritis , utramque recte gubernare  
positis .

F I N I S.

S I N I S

21113

# Página de Controlo



HISTÓRIA  
DO DIREITO  
—  
MISCELLANEA  
IV

Sala e  
Gab.  
Est. 13  
Tab. 4  
N.º